





1596, 10

20



V I R O

Clarissimo & excellentissimo

dn.

D V N C A N O L I D =  
D E L I O S C O T O P H I L O,  
S O P H I A E E T M E D I C I N A E D O.

ctori & superiorum mathema-  
tum professori,

*gratulantur*

COLLEGÆ ET FAMILIARES.



HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. XCVI.



DUNCANO LIDDELIO  
SCOTO PHILOSOPHIAE ET  
Medicinæ Doctori Cl<sup>mo</sup>.



Xpers inuidiæ mens, modicis aut fruitur bonis,  
Aut non esse adeò, quod miserum vulgus ait,  
putat.

Thersites modo ne sim, specie Nirea vincito:  
Fundat diuitiarum tibi montes Tagus aurifer,  
Mî sit, quod satis est: nemo hominum me merito oderit,  
Magnorum aurea te gratia regum aut populi beet:  
Tu primos gere honores, mihi dum sit locus in bonis:  
Quin, sis rex populorum, modo ne pro Care censear.  
Vah, stultos animis hoc genus excarnificant cruces,  
Stultos & miseros: Bascanie quos dedit ad necem,  
Aut vibice cecidit moribundos penitus graui,  
Emerfos Erebo, post redituros Styga ad infimam:  
Iam nunc ore trifauci trepidos Cerberus allatrat.  
At contra niuea est natio, quæ ducit originem  
Coelo, ad principium luce animi respicit, & redit:  
Spernunt vilia, tollunt ea, quæ sunt sapientiæ:  
Cultores venerantur Sophies, ijsq; volunt: Viden,  
Vates vt faueant nobilium Asclepiadûm choro?  
Et cunctos amo: verum ex alijs Liddelius mihi  
Consuetudine iunctus veteri in littore Baltico.  
Qua Varnus Roseos haud celeri præterit alueo,  
Est vero celebrandus mage, quam carmine, musicos  
Et suaues redolenti numeros, (sic iuuenes canant)  
Quod rectè audiat ipse: O ades, ô dia mathemata

Har

Hausisti puer, & coeliuagos dinumeras globos:  
Tu naturæ elementa omnia prima intima & extima:  
Quæ sunt, quæ generabuntur, & haud in nihilum ruent,  
Vnus cuncta tenes: tu penitus multa acie sacra in  
Maiestate vidēs abdita, quæ non nisi ibi fient:  
Quod quantum sit, id ipsum numeri angustia non capit:  
Hoc Canthoni cachinnos cieat: sed Ramidon logos  
Et leschas Polygraptæ, nec amœnas, mera somnia,  
Cedamus pueris, vt nuculas, longam vt arundinem,  
Quæ mirè pueris seria sunt, & sat equestria.  
Tu quod tantus es, hoc & populari Cragio, sophor  
Ad normam veterum, nec Vitichæ præcipuo nihil,  
Acceptum memori pectore fers, oreque gratiam  
Halanti. Sedenim non tacito tanta silentio  
Ingratè meritorum tua virtus tegat: aureæ  
Virtutis didicisti sacra, nec non eadem doces,  
Sicut voce, ita puris etiam moribus integer.  
Hinc Dunæ geminum, gente satum & te Caledonia,  
Te Bruceus amabat, coluit Duditius, Braha  
Demiratur acumen genij Scotigenæ inclytus.  
Hoc Duncane beatum tibi: sed das quoque symbolam  
Gratam vitæ hominum: quippe valentes vigil optimè  
Seruas, aut abigis mille lues, arte Epidauria.  
Hoc est conspicuo fronde sacra quòd modo plaudimus:  
Porrò viue benè, & viue diu, tum tibi, tum bonis,  
Morbi te veniente aufugiant longè, Acheron gemat.

JOANNES CASELIUS

A 2

EIDEI





E I D E M.



*V*anto furore Hunnis trepidantibus  
Dudum feroces immineant Scythæ:  
Quò Marte tanta barbarorum  
Agmina conueniat repelli,  
Non est quod istâc solliciti nimis  
Inter sodales ac patinas diè,  
Quæramus, anxijsg multa  
Articulis mala computemus.  
Quod luce non est hâc, erit alterâ,  
Sic vita semper truditur in diem:  
Quis nescit interdum æra cautè  
Negligere eximium esse lucrum?  
Cedò falernum: sparge rosas puer,  
Iuuet canoram tendere barbiton,  
Dulcesq; sub noctem choreas  
Posthabitis agitare curis.  
Vides sacrato cœtu in Apollinis  
Vt spissa ramis laurea L I D D E L I  
Frontem coronat, & decentes  
Mitra rubens amicit capillos.  
Quid mirum? honorem ac debita præmia  
Hoc ille tandem pacto adipiscitur,  
Et pristinam eruditionem  
In speculâ locat altiore.

Cæli

Cæli meatus, & vaga sidera,  
Nubes, serenum, flabra Aquilonia,  
Situs locorum, plana, montes,  
Veliferasq; maris procellas  
Ex Acragantini Empedoclis scholâ  
Antehâc iuuentæ tradidit, artifex  
Rerum atq; verborum disertus,  
Et probitatis amussis idem.  
At nunc benigno munere cœlitum  
Tandem supremâ mactus adoreâ,  
Diu hæsitantem in ÆsculapI  
Aurea templa pedem reponit:  
Illic deinceps castus & integer  
Per omne vitæ tempus Apollinis  
Futurus intonsi sacerdos,  
Vt Podalirius, aut Machaon.  
Dic ô virorum Mercurialium  
Liuentis expers inuidiæ cohors,  
Quæ propter Elmanæ sacratos  
Aonidum colis arua saltus,  
Quis signa possit militiæ suæ  
Proferre curto tempore longius?  
Quis per tot artes, cen quadrigis  
Sit spatio breuiore vectus?

Albertus Clampus I. V. D. beneuolen-  
tiæ & amoris causa F.

A 3

EI-



## EIDEM.

**S**I, coelum, & toto quæ lucent sidera cælo,  
Quosq; ortus seruent singula, quosq; obitus,  
Quæq; habeant, vulgò non credita, iura, nec vlli,  
Qui supra vulgus multa sibi ipse sapit;  
Omnia si paucis comprehendere versibus esset:  
Quæque etiam regi tradidit Aemathio  
Vir sapiens, Diuûm è gaza mysteria promta,  
Et quantum his ætas posterior cumulum  
Aggeffit, veterum feliciter æmula Graiûm;  
Palladio soli qui subiere adyto.  
Quidquid item gestum, hæc inter mortalia secla,  
Huc rerum primo à principio vsque, fuit:  
Tum, qua quæque plagâ regio sita, quæque tot vrbes;  
Vnde & quò patrios natio quæque Lares  
Transtulerit passim: si iungi his denique possent,  
Quæque docet magni pagina Coa senis,  
Et quæ Pergamei spaciofa volumina, quæque his  
Addidit Asclepij turba operata sacris:  
Tenuibus hæc elegis si non minùs apta fuissent,  
Nostra vel augustum Musa sonare potis;  
Virtutum viuo depicta colore tuarum  
Hoc spectanda loco fulgeret effigies.  
Ne quisquam non norit, vt hæc tu solus adeptus  
Omnia sis, quæ vel singula quemque beent:  
Mirati curam assiduam, vigilesque labores,  
Et fessum nullis temporibus studium:  
Tum laudent animum potiundi ardore flagrantem,  
Nulla explere vñquam quemvaluit fatias;

Atq;



Atque alia ex alijs de sideria interim cetera,  
Tamquam alicui, quem auri torret auara fitis.  
Nec, quam quæsitæ minimè sis parcus, omittam,  
Quam largè hinc promptâ distribuas operâ;  
Aequè diuitijs locuples ac prodigus idem;  
Et vili prorsus sanus ab inuidia:  
Cui nec sufficiat tetigisse Heliconia tempe,  
Si non eòdem alijs sit quoque aperta via:  
Addiderim &, quanti faciant te litora Baltes,  
Vt Nymphis sis dilectus ab Oderifin:  
Vt de Saxonica merearis flore iuuentæ,  
Et veri quosquos allicit huc studium.  
Quotidie vt multis præstò sis arte medendi,  
Victrici pellens monstra cruenta manu.  
Nec verò falsis tibi sic aliena figuris  
Mendaci facies splendeat in tabula:  
Id nisi iners faciat, nec ludens sponte; ad inepti  
Peniculum precio dirigit imperium.  
Quò ruis imprudens? modicis vix messibus apta,  
Non capiunt gazas horreola Arabicas.  
Desine: remum inhihe: ne te citò ventus in altum,  
Sæuis ludibrium fluctibus, abripiat.  
Quando tibi tædæ vrentur, Duncane, iugales;  
(Vtque breui, votis annuat almus Hymen.)  
Carmina & ipse canam ad grandem composta cothurnum,  
Accersam & cunctos in mea cœpta DEOS.

*Theodorus Adamius J. V. D.*

EIDEM.





E I D E M.



Vite Parrhasiã BRVCAEE vocavit ad Arcton  
E bellicosa finibus Brabantia:

Quàm bonus ille fuit! quàm nostro commo-  
dus orbi!

Quàm mitit indulgensque patriæ patris!  
Nam tu corporibus fluidos depellere morbos,  
Et sanitatem seminuuo reddere

Noras. sunt Heruli testes: scit Cimber, Et Odus  
Formidoloso Danus insidens mari.

Nec Commicisse manu, normamq; Galeni

Monstrasse cultis Saxonum nepotibus,  
Virtuti fideiq; tuæ satis esse putabas:

Vt artis heres viueret multus tuæ

Cura fuit potior. quoddam feliciter urges.

Nullisq; parcis impiger laboribus,

Nobilia eduxti medicorum examina, passim

Professa nomen Belgici Machaonis.

Diuisit fortuna viros. tibi Iulia pubes

Docto fruisçi contigit PARCOVIO.

Gaude sorte tuâ: magno nihil ille magistro

Cessurus, impedita morbis corpora


Sine

Sine lenare opus est, seu spem producere seclis,  
 Nouosq; mundo suscitare Asclepios,  
 Cetera nunc mittam: presentibus adijce mentē.  
 Quid hoc superbo dulcius spectaculo?  
 Dum quinq; ex varijs congressi partibus orbis  
 Cheirones vnā collocantur exedrā.  
 Nemo ex hoc numero tanti non dignus honoris:  
 Tu ceteris multò tamen felicior  
 DVNCANE ad gelidam cui fas subsistere Balthen,  
 Sanctisq; Brucae repertis imbui.  
 Sis felix, nostraq; stude prodesse iuuenta,  
 Dum floret etas, fata amica dum sinunt.  
 Profluat in cœtus doctrina abeatq; capaces  
 Quæsitæ multis hæctenus sudoribus.

Henricus Meibomius, Poëta Cæsarius,  
 academ. Iuliae professor, collegæ &  
 amico optimo faciebat.

E I D E M.

Υγείας Ιομιάμα.


 η τρωῶν βασιλεία κλυτὴ ἀπληγαδάων,  
 ἠπόχερ' υγεία, βίε σάτειρα πειθαυῆ,  
 λίσσομαι ἀμφ' ἀγαθῶτε ἢ ἀκροσόφω σεο μύση.  
 ἢ σὺ γὰρ ἀσφαλῆως θνητ' ὄηκα κρατύνεις,  
 οὐδέ τι πώποτ' ἀπὲρ σεο κρήγυον ἔργον ἔγεντο,  
 εἰδέν' ἐπ' ὠκεανῶ, εἰδέν' ἐπ' ἀπείροισι γαίῃ.  
 αἴσατον αἰὲν ἔχασ' ὄρμην τροχοειδέϊ κύκλῳ,

B

είσεκα

εἴνεκα σέιο τύχη μεγαλόνυμον ἔλαβε κῦδ' ὅ  
Δύσμορ' αὐθις ἀκέρσ', εἰ κοτέσθ' ἀνένευσαι  
μαψιδίως αἰδῆς κρατερῶσπερ χεῖρας ἐφῆκεν  
οἷσι παρήδα θεὰ ἐπαρωγὸς εὐφροῖ θυμῶ  
ἐκ σέο τ' εὐκταῖαι χάριτες ῥέον· οἱ ᾗ παλαῖοι  
τρεῖσθε μόναι ψεύσαντο πεφυκέναι· εἰς δ' ὑγίαιας  
ὄφθαλμὸς γαλαῶν ἑκατὸν χαρίποσι πεθήλει.  
τ' ἔνεκα τριλλίσαις ἀγαθὴν ποθέμεν ἐν εὐχαῖς  
μὲν ὅ τε συγέει σε Φιλῆσαις αἰπὺν ὄλεθρον.  
ἀλλὰ μάκαιρα Λιθελιάδην ἀριδείκετον ἄνδρα  
σώζοις εὐμενέως, χαλεπῆς ἀπὸ νόσφι νόσοιο,  
ἤστικεν οἱ πομάτης δρόμ' ἤλυθεν ὄψιμ' ὄρης.  
οἶδα γὰρ, ὡς ὀλίγοι σοφίην εἰαλίγκιοι αὐτῷ  
ἡμετέρης χρεῆς· Δουγκάνω φοῖβ' ἔδωκεν  
εἰδείσαις περαπίθεσι μαθήματα πρῶτα νοῆσαι,  
καὶ τῆς παντοτέχνης φύσεως μυστήρια γνῶναι,  
οἶάτε ὀμβροχαρῆς πολυποίκιλα χθῶν ἀπιτάλλαι,  
οἶάτ' ἐν εἰαλίοισι κύει ῥοίζοισι θεῖλασσα,  
οἶάθ' ἔδ' ὁ μακάρων περὶ γαῖαν ὄλυμπε' ἐλίσει,  
καὶ νόον αἰθρώπων, καὶ ἄστα, κείν' ἀλί νήσους,  
τ' ἄλλα δέ, ὅσα πάλαι κρυφίη κεκαλυμμένα σιγῇ,  
ἔλλας ἀληθείας ταμίη ἀρετῶν ἰερίτιμων,  
ἀλλήκλω καμάτω εὐρημένα ἐσομύοισιν  
κάλλιπεν ἄφθονα πολλὰ, ἱεφαῖς κεχαραγμένα βιβλοῖς.  
οὐδ' αὖ ἐγὼ ζαθέης ἀρετῆς τρηχεῖαν ἀλαρπῆν,  
ἥσπερ ἐς ἄκρον ἵκανε φίλ' ὁ παλασίφρονα θυμῶ,  
ἔδ' ἔ Μαχαονίην εἶποιμ' ἐρικυδέα τέχνην,  
ἦν δ' ἵα οἱ κεφαλὴν σεφάνωσ' ὄγε δάφνην ὄρηξ.  
πλεῖσαι παρήκα, ἔπει ψάμμ' ὁ περίφρου γρηθμῶ.  
κεῖν' ὁ δ' οἶα κόρη Ελμάνη χάρματ' ἔθηκεν  
πάντα γὰρ μεσοπόλων τίς ἂν ὑμνήσειε καθ' αἶσαν;

Ioannes Potinius Verdenfis.  
EIDEM.



E I D E M.



Vousque insatiabili labore  
Ardes quidquid vbiq; supra & infra est,  
Duris imperij tenere claustris?  
Cœlos (quælo fiducia vnde tanta  
Mortali?) ausus es aggredi noua arte,  
Cum paucis, veteresque dedocere  
Gyros. Namq; nouas dedisti eundi  
Leges cuiq; suas seueriores,  
De quibus nihil ante te cuiquam  
Rerum nosse dedit parens benigna.  
Non addo toties quod incitatos  
Sedasti varijs modis sophorum  
Accensos odijs feris tumultus.  
Iam porrò quid agis? diu quod ante  
Voluisti studio modestiori,  
Ostentas modò apertè & ore cunctis  
Rotundo profiteris, intulisse  
De nouo, tetrico pium duellum  
Morborum glomeri, occupantium iam  
Quâ spectas loca cunq; multa densè,  
Moturum mage limites Hygæ.  
Ob hæc quis tibi non putet triumphum  
Deberi, & pote si sit amplius quid?  
At quæ nunc tibi surgit ampla fama  
Et nomen, potiora credo habebit  
Cui finita cupido honoris escit.

*M. Adamus Luchtenius.*

B 2

EIDEM.





E I D E M.

**C**orporis Umbra comes, victoris palma laboris,  
Palma per aethereos semita tuta sinus.  
Romulus exemplum primo induit ordine laudum:  
Quem dum Cenina ductor ab arce petit,  
Et spolia ex humeris sibi sperat optima Quiritum  
Fallaci temerè credulus augurio;  
Ante diem clamat: pateas adoperta triumphis  
Roma mihi, lacrumis humida supplicibus.  
Nam tacitè arridens constat Fortuna Quirino:  
Et fouet Acronis quæq; notata oculo.  
Cuius vt anticipat conamina Romulus, omni  
Et decora & laudes arrogat imperio.  
Virtutis patriæq; parens dum contudit hostem,  
Ferratasq; graui mesuit ense acies:  
Exuujs axes oneratos, signa, triumphos,  
Composita ad plausus tota theatra tulit.  
Palma viri merces. populi qui proruis hostes,  
Per cliuum captos, fronde reuinctus, agas.  
Votiuas tabulas DVNCANVS Apollinis ædi  
Dedicet, ante focos victima festa cadat.  
Qui furias Hecatesq; infregit iura subactæ,  
Fraudatis Stygijs sæpe Deis spolio.  
Si quoties Erebi sæuit de nocte profunda  
Portitor ægroti volturius capitis,

Et vo.

Et vouet : hæc hodiè mihi victima corruet Orci,  
Ne foret exhaustus fiscus Auerniculis :  
Dives opis medicæ censum DVNCANVS Auerno  
Executit, vt nullus nauula Charon mereat.  
Nequicquam ferrum in mortalia corpora stringis  
Sæua phalanx sæuo cincta satellitio.  
Quid tibi sit fraudi, nescis Mors, Pluto, caterua  
Confossa inuidiæ cor rabidum stimulus ?  
Asclepi SCOTVS antistes te, spicula dira  
Vibrantem, Stygias disijcit in tenebras.  
Turbatas morborum acies, & tela caduca  
Vidi ego deuotæ terga dedisse fugæ.  
Vidi ego Tartareas Furias, sterni agmina mortis,  
Et mortem victas sponte dedisse manus.  
Amissum imperium, ductæ riuosq; ruinæ  
Luxisse aduertit numina victa Stygis.  
Otia lenta trabis putrenti in margine inertis  
Flet Charon, vt rimis soluitur & carie.  
Quid cariose senex spes nostras fallere speras ?  
Non moritur doctus rumpere mortis iter.  
Approperate decus mortalia pectora laudum  
Victori, ex auida præmia ferte Tyro.  
Præda SCOTO: palma, sic promeruerit labores,  
Tergemino superet cinctus honore caput.  
Victor equesq; pedesq; acri certamine pernix  
Emeritos titulos, parta tropæa, petunt.

Hic Fabijs, Curijsq; adeò, Decijsq;, Camillisq;,  
Et quorum in titulis Africa victa ruit,  
Æquari meruit: quas demiratur eburnas  
Græcia, nobilibus dignior est statuis.  
Ergo rati letastandem DVNCANE coronas  
Indue, qua vastum mensus es Oceanum,  
Aptus Apollineos ad IVLIA littora portus,  
Segregus à creperi vorticibus pelagi  
Tuta vides tangisq;: silet Iouis omine cælum,  
Ne paueas claustrum perfidiam Æolij.  
Letus ouans victor Capitolia, tempora tænijs  
Vinclus, & exuuijs plenus ab hoste, subi.  
Quas tibi molitæ solennes ordine pompas  
Iuliadum Nymphæ, præmia militiæ,  
Remige iam pridem fama pernice triumphant,  
Quà penetrabile Iouis panditur astrigerum,  
Et supra vulgus posuere, & honore superbo  
Sacrarunt supera nomen in arce tuum.  
Donec fama nigri penetrauit Memnonis oras,  
Fama per hibernos passa Borystenidas.  
Sed, cælo augustum, terris mirabile numen  
DVNCANI, haud numeris claudere posse datur.  
Qui iuuenis sancto comprehendens pectore cælum,  
Quæ constant alijs singula, solus habet,  
Quicquid naturæ thesaurus possidet, vnus  
Prospicit augustis omnia luminibus.

Huic



*Huic tu diua Salus spirabis numen amicum,  
Vt cedat voti meta suprema mei.  
Sic noua si morbi DVNCANVM pugna laceffat,  
Vincet, & Orcinis finibus horror erit.  
Viribus vtetur cassis manus horrida Auerni:  
Nil vehet annosus nauita hiantate rate.  
Qui prohibere etiam velit, hunc ne Parca suum hostem  
Crudelem infernis mittat Auerniculis.  
Interea DVNCANE Venus tibi vincula amoris,  
Felici sociam conferet auspicio.  
Ardentes Hymen faculas quatietq, tuisq,  
Coniunctæ venis vulnus alet Veneris.  
Æmulus Alcidae pugnacis, colla capistro,  
Impediere manus compede connubij.  
Ceu labor Hercules dum figit in orbe columnas,  
Exhaustisq, vices exigit imperijs:  
Ordinibus diuis adscriptus, amoribus Hebes  
Arsit in astrigeris vorticibus superum.*

Ioannes Peparinus.

F I N I S.





ULB Halle  
003 338 150


3



TA-OL

VD 77





1596, 10

20



V I R O

Clarissimo & excellentissimo

da.

D V N C A N O L I D =  
D E L I O S C O T O P H I L O =

S O P H I A E E T M E D I C I N A E D O =

ctori & superiorum mathema-  
tum professori,

*gratulantur*

C O L L E G Æ E T F A M I L I A R E S .




HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. XCVI.

30

3



B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue